



Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

8. Eadem ex libro quem hanc solam ob causam Augustinus scripsit, ad oculum demonstratur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

CAPVT OCTAVVM.

Eadem ex libro quem hanc solam ob causam Augustinus scripsit,
ad oculum demonstratur.

QUOD ut remotâ omni ambiguitatis & obscuritatis nebulâ, manifestissime cuilibet lectori pateat, cui oculos non clausit pervicacia, liber de gratia & libero arbitrio perlustrandus est. Cùm enim illius Sanctus Augustinus sub finem vitæ iam diu cum Pelagianis luctatus & eorum assiduis pulsatus de suffocata per gratiam libertate querimonis, ex professo composuerit, ut concordiam liberi arbitrii cum gratia patefaceret, fieri non potest quin omnes nervos in eruenda demonstrandâq; veram conciliationis viuisq; radicem exhiberet & quam legitimam arbitratus est, scripto consignauerit. Nam eo solo scopo librum hunc exaratum esse, statim in exordio protulit: *Quonia sunt quidam qui sic gratia Dei defendunt ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negant existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere, ad vestram charitatem valent in frater, & ceteri qui simul Deo seruis, compellente iura charitate curavi.* Quod etiam ita accurate prestat, ut à capite usque ad calcem nihil aliud agat nisi ut alternatim singula, nunc liberum arbitrium, nunc vicissim gratiam liberando & utriusque officia trutinando, ipsa in eandem actionem concorditer, silva utriusque proprietate fluere demonstrentur.

Videamus igitur quam conciliandi rationem ipse excogitaverit, velut legitimam securissime proposuerit, docuerit, Religiosis viris istis tanto studio commendauerit, & sub finem eos compellendo dixerit: *Repetite assidue liberum istum; & si intelligit Deo gratias agite: ubi autem non intelligit orate ut intelligat. Dabit enim vobis Dominus intellectum.* Quod propter questionis istius difficultatem, quem admodum ipse scribens Monachis eam appellavit, tenebras dixit.

Itaque in ingressu statim è sacris literis demonstrandum suscipit, esse in homine liberum voluntatis arbitrium, nec unquam vel semel querit aut probat illud esse indifferens ad utrumlibet, sed hoc unum duntaxat, quod præcepta Dei postulant ab homine, sive tacite sive expressè, ut velit aut nolit. Ex quo concludit: *Nempe ubi dicitur noli hoc, & noli illud; & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinitus motus opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Et quomodo satis si indifferentia ad utrumlibet libertati necessaria est? Nonne tu ipse doces esse quandam in cælo beatam boni volendi, hoc est, Dei diligendi necessitatem quæ sine voluntate non fiat? Nempe de indifferentia, qualem Scholastici quidam exigunt, nihil omnino S. Doctor sollicitus est, dummodo non alienetur opus à propria voluntate. Nam hoc unicum ab ipso toto libro, à capite ad calcem usque respici, intendi, probari, inculcari, ut videlicet non sepa-

retur opus ab humana voluntate, quemadmodum vi gratia contingere Pelagiani delirabant, quasi alius, ut ipse loquitur, *de homine vellet, vel homo invitum ac reluctans cogerecetur.* Et in hoc unico concordiam gratia & libere voluntatis, ab ipso statui, quod arbitrium non instar trunci vacet, aut cogatur invitum, sed simul etiam *aliquid propria voluntate velit & agat tam est perspicuum & toties repetitum, ut profecto necesse sit, vel cæcum esse qui non viderit, aut contentiosissimum qui negaverit.*

Nam primò statim post illam conclusionem suam, qua collegerat ex *velle & nolle*, satis liberum arbitrium demonstrari, delirant pugilans Pelagianorum opinionem, subiicit: *Ne uterentur aliquid secundum Deum, id est aliquid boni, operatur, ALIENET HOC A PROPRIA VOLUNTATE.* Quando enim VOLENS facit, tunc dicendum est opus bonum.

Secundò hoc ipsum agit cap. 3. Nam liberum arbitrium saluum esse probaturus: *Noli, inquit, vinci a malo, sed vince in bono malum. Et atque ita dicitur NOLI VINCI, arbitrium sine dubio velant ut eius convenitur. VELLE ENIM ET NOLLE PROPRIA VOLUNTATIS EST.* Et initio capitis 4. indicat se istis verbis non tantum arbitrium voluntatis, ut aliquis suspicari posset phrasibus ejus non assuetus, sed etiam liberum arbitrium defendisse.

Tertiò hoc ipsum agit cap. 4. ubi liberum arbitrium ex præceptis non fornicandi asseritur: *Numquid indicant aliud quam liberum arbitrium? Et quomodo indicant? Neque enim præcipiuntur nisi homo haberet propriam voluntatem qua divini præcepti obediret. Et ideo non præcipitur ijs qui propria voluntate carent, & in præceptis impleendis nihil omnino agere possunt, sicut nihil omnino nos agere, operante in nobis sola gratia, Pelagiani querebantur. Nam inde est quod*

Quartò hoc ipsum agit ex Apost. verbis in Epist. 2. ad Corinth. *Rogamus ne in vacuum gratia Dei suscipiatis.* Subiicit enim: *Vt quid enim eos roget, si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem?* Hæc enim erat ipsissima Pelagianorum imaginatio, quod opus præceptum gratia sola, aut Deus per gratiam solus perficeret sanctitatem sine voluntate nostra, ut loquebantur, ideoque gratia sine aliquid imperasset prout Catholicis improbrando dicebant, ut supra declaravimus.

Quintò hoc ipsum agit cap. 9. dum illa tractat Apost. verba *Deus operatur in vobis & velle & operari*, quæ maximè liberum arbitrium voluntatis latissime videbantur: *Non enim, inquit, quia hoc dixit, ideo liberum arbitrium abesse putandus est. Quo pacto igitur tanta Dei operatio cum libero arbitrio conciliari debet? Audi: Quod si ita esset non superius dixisset: Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem OPERAMINI VOS videlicet non solum*

Lib. de grat.
& lib. arb.
cap. 1.

lib. de grat.
& lib. arb.
cap. 3.

lib. de grat.
& lib. arb.
cap. 4.

lib. de grat.
& lib. arb.
cap. 9.

Lib. de grat.
& lib. arb.
cap. 3.

Cap. 4.

Cap. 5.

Lib. de grat.
Christi. 6. 7.

Cap. 9.

Deus. Quando enim iubetur ut operentur, liberum A
eorum componitur arbitrium. Nempe quia impossi-
bile est, ut hoc fiat nihil agentibus nobis, sine
nostra propria voluntate. Nam hoc ipsum respicere
tunc ea quæ toties præcesserunt, tunc ea
quæ toties adhuc sequuntur, perspicue probat.

Sexto enim hoc ipsum agit capite decimo
quinto, ubi cum præmisisset Deum ab homi-
nibus auferre cor lapideum, hoc est durissi-
mam voluntatem subtexit statim: Ne autem
putetur nihil ibi facere ipsos homines per liberum
arbitrium, ides in Psalmo dicitur: *volite obdurare
corda vestra &c.* Et concilians loca quæ postu-
lant præceptum tanquam à libero arbitrio faci-
endum, & quæ Deum per gratiam hoc faci-
endum pollicentur, non aliter hoc præstat,
nisi quia Deus dat quod iubet, cum adiuvat, ut faciat
cui iubet. Hoc est, gratia facit & facere (ut non
alius quispiam de nobis, sed ipse liberum arbitrium
velit & faciat) & hoc ipso liberè seu
per ipsum liberum arbitrium, quia velle
nisi liberè, juxta S. Augustinum, nemo prorsus
potest. Hoc enim ipsum statim adjicit, *semper
est autem in nobis voluntas libera, sed non semper
est bona; ubi voluntatem pro volitione sumi
ex pluribus subjunctis per tria tota capita man-
ifestissimum est.*

L. lib. de grat.
Christ. c. 15.

Cap. 20.

Septimo hoc ipsum agit capite 20. ubi re-
colligens breviter id quod egerat, totoque li-
bro sibi agendum proposuerat: *Satis me disputa-
tasse arbitror adversus eos qui gratiam Dei vehementer
oppugnant, quia VOLUNTAS HUMANA
NON TOLLITUR, sed ex mala mutatur in bonam,
& cum bona fuerit adjuvatur.* Ecce quid in gratiæ
operatione adversariis displicebat, nempe
quod voluntatem humanam prorsus tollere,
& ideo liberum arbitrium violare videretur.
Negat hoc Augustinus & utrumque concilia-
t, quia gratia mutat voluntatem in aliam,
malam in bonam, & bonam adjuvat. Non
igitur tollit sed relinquit voluntatem, & ita
nullo modo liberum extinguit arbitrium.
Quod ut facilius de operatione Dei per gra-
tiam perciperetur, prolixè probat multis,
Deum etiam alijs modis potentissimis in ho-
mine operari; qui tamen non lædant liberum
voluntatis arbitrium. Non lædere autem sed in-
colere suo quocumque Dei operatione seruari,
non aliter probat nisi quia fiunt ea quæ per
ipsum Deus operatur, sua ipsorum voluntate,
propria voluntate, non sine voluntate, per
voluntatem.

Ibidem.

Ibidem.

Octavo igitur hoc ipsum Augustinus agit
eodem capite vigesimo, quando de hostibus
Israëlitarum dicit: *Numquid non hostes Israëli-
tarum adversus populum Dei quem ducebat Iesus navi,
sua voluntate perierunt? Et tamen dicit scri-
ptura, quia per Dominum factum est confortari cor
eorum &c.*

Nono hoc ipsum agit, quando ibidem de
Semei dicit: *Numquid non sua voluntate
homo improbus filius Semini maledicebat Regi David?
Et tamen quid ait David plenus verâ & altâ & piâ
sapientiâ? Dimitte eum ut maledicat, quia Dominus
dixit illi maledicere David.*

Decimo hoc ipsum agit in eodem capite,
quando de Absalon dicit: *Numquid non sua
voluntate Absalon elegit consilium quod sibi obe-
rat? Et tamen ideo fecit quæ exaudierat Dominus
eius patrem orantem ut hoc fieret.* Ibidem

Cap. 21.

Vndecimo hoc ipsum agit in capite vi-
vigesimo primo, quando de Roboam di-
cit: *Vnde hoc quod Roboam respuit consilium sa-
lubre seniorum, nisi propria voluntate? Sed
hinc ab eo recesserunt decem tribus, ut iram Dei vo-
luntas fieret; quia videlicet conversio erat a Domi-
no, ut verbum Abiæ Silonitæ impleretur.*
Quibus iterum subjungit Augustinus: *Nempe
sic factum est & illud per hominis voluntate-
tem, ut tamen conversio esset a Domino.*

Duodecimo hoc ipsum agit in eodem capi-
te paulo post, quando de Philistin & Arabi-
bus quorum spiritum Deus luscitaverat in iu-
daam irruentibus dicit: *Numquid Philistin
& Arabes in terram Iudæam dissipandam sine sua
voluntate venerunt? Aut sic venerunt sua
voluntate ut mendaciter scriptum sit, quod Do-
minus ad hoc faciendum eorum spiritum iuscitavit?* Ibidem

L. lib. de grat.
Christ. c. 15.

Decimo tertio hoc ipsum agit, quando
difficultatem istam de Arabibus propositam,
liberum arbitrium cum Dei operatione concilia-
ndum sumit: *Imo utrumque verum est, quia
& sua voluntate venerunt, & tamen
spiritum eorum Dominus iuscitavit.* Quod etiam sic
dici potest, & eorum spiritum Dominus iuscitavit,
& tamen sua voluntate venerunt. Ratio concilia-
tionis est, non quia arbitrium indifferens,
sive ad contraria sive ad contradictoria per-
manet, sed quia per Dei operationem accipit
ipsum voluntatis motum, & sic ipsum arbitrium,
non alius operatur: *Agit enim, inquit, omnipotens
in cordibus hominum etiam motum voluntatis
eorum, ut non solus aut per alios, sed per
eos agat, quod per eos agere
ipse voluerit.* Quod prolixius probat in se-
quentibus, semper ita servans liberum ar-
bitrium sub operatione Dei, quia Deus quod-
cumque vult, sive timorem sive fiduciam,
quo timent aut fident homines, ETIAM IN
CORDIBUS hominum operatur. Vnde ge-
nerali sententiâ concludendo docet, ex ijs quæ
protulerat Scripturæ testimonijs manifestari
Operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas
eorum voluntates, quocumque voluerit, no
videlicet putarem liberum arbitrium vo-
luntatis seu volendi violari, ubi Deum au-
dimus ipsas voluntates ipsamque motum cor-
dis operari.

Decimo quarto hoc ipsum agit, quando de
induratione Pharaonis, quem Deus indurasse
legitur dicit: *Nec ideo seratis à Pharaone liberum
arbitrium, quia multis locis dicit Deus: Ego indura-
vi Pharaonem, quasi videlicet ista phrasi signifi-
catur Deum hoc tantum, nihil verò Pharaonem
agere. Sic enim rationem reddit: Non enim
propterea ipse Pharaon non induravit cor suum.
Quod cum Scripturis probavisset: Ac per hoc,
inquit, & Deus induravit per iustum iudicium, &
ipse Pharaon per liberum arbitrium.* Ibidem

Cap. 23.